

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

Sectio VI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

etiam hanc guttam, nec ideò majus erit, aut redundabit. Deinde

Resp. 2. *Transf. Ant. Neg. Consequent. & Parit.* Ideò enim accidentia non possunt soli materiæ inhærere, quia hæc, si à forma separetur, non est *subjectum* recipiendi, accidentibus proportionatum: at verò quantitas, materiæ inhærens, cùm habeat existentiam à forma, materiæ unitâ, nihil ei deest, quò minùs immediatè reliquis accidentibus subistere possit: si verò à materia separetur, ut in Evcharistia, Deus influxum materiæ, quantitatem sustentantis, effectivè supplet.

SECTIO VI.

De Natura, Arte, & Violento.



Actenùs de rerum principijs in esse, jam agendum de principijs rerum naturalium in operari, quò respectu propriè *Natura* appellantur: quamvis enim ipsa essentia sit radix operandi, propriè tamen, ut dat esse, vocatur essentia, ut est principium operandi, vocatur *Natura*, sine qua exanimè planè sunt rerum omnium essentiæ, illi profectò statux non absimiles, quam in hominis figuram ex luto
fin-

finxisse fingitur Prometheus; erat enim muta, & immobilis, sine sensu, sine spiritu, sine vita: ut primum verò, rapto cœlesti igne, *Naturam* illi dedit, subito animari, moveri, loqui, & discurrere cœpit. Tantarum mater operationum est *Natura*! De qua, sicut etiam de *Arte*, quæ imitatur *Naturam*, & *Violento*, quod opponitur *Naturæ*, jam ex ordine agemus.

Quæstio I.

Quid sit Natura? quibus rebus conveniat, esse Naturam? & quæ Naturæ convenient?

SUMMARI A.

1. *Varia naturæ acceptio.* 2. *Vera, & propria ejus definitio expenditur.* 3. *Quibus rebus conveniat, vel non conveniat, esse naturam, ostenditur.* 4. *Multi, quæ naturæ convenient, referuntur, & per axiomata explicantur.*

PRÆnotand. Varijs modis accipi hoc nomen *naturæ*; aut enim significat Deum, quem dicunt *Naturam naturæ*, seu *Naturam naturantem*: aut totam rerum universitatem: aut materiam, & formam: aut causas naturales: aut rei essentiam, & quid-

ditatem, quæ definitione explicatur: aut nativum calorem, & temperamentum: aut denique principium illud, quò res omnes ab intrinſeco ad generandum, & operandum moventur; de quo ſolùm jam acturi ſumus.

2. *Reſol. 1. Natura benè definitur: Principium, & cauſa motûs, & quietis ejus, in quo eſt primò, & per ſe, & non per accidens.*

Dicitur 1. *Principium*: quia natura eſt prima radix operandi; potentiæ verò, & facultates, v.g. calor in igne, intellectus in anima, non ſunt prima radix, ſed aliam ſupponunt, hoc eſt, naturam.

Dicitur 2. *Et cauſa*: quia privatio eſt quidem principium, ſed non cauſa motûs, & ideò nec natura.

Dicitur 3. *Motûs, & quietis*: non quòd natura utrũque, ſed alterutrum petat; in empyreo, & globo terreſtri eſt cauſa ſolius quietis: in cœlis ſolius motûs localis: in gravibus, & levibus eſt cauſa utriuſque: per quietem verò intellige non ſolam carentiam motûs, ſed etiam poſſeſſionem termini: per motum non ſolùm localem, ſed alterationis, & quemlibet corporeum.

Dicitur 4. *Ejus, in quo eſt*: natura enim dicitur reſpectu motuum, ab intrinſeco proveniente; quamvis enim ignis calefaciat aquam, & hæc calefactio ſit naturalis,

ralis, quia juxta inclinationem ignis, propriè tamem ignis non est *natura* aquæ, quam calefacit, nec sol, aut Angelus, aut Deus *natura* suorum effectuum, quos extra se producant.

Dicitur 5. *Per se, & non per accidens*: per quas particulas *natura* ab arte distinguitur, quæ quidem etiam est principium illius motûs, qui fit in corpore naturali, sed tantum *per accidens*: unde medicus, etsi sanet seipsum, sibi que medeatur, hæc tamem sanatio non est naturalis, sed artificialis; poterat enim ab alio sanari; *per accidens* ergo est, quod principium curationis sit intrinsecum: nec talis curatio quoad modum est à principio primo, & intrinseco, hoc est, ingenito, sed acquisito, & extrinseco, quoad substantiam tamen talis effectus, sicut omnes alij artificiales, est naturalis.

3 Resol. 2. Ratio *naturæ* alijs rebus convenit, alijs verò non: nam

1. Convenit *materiæ*, & *formæ* rerum sublunarium. De *forma* non est dubium, esse naturam, maximè, si forma sit vitalis; tunc enim ab intrinseco se movet, augendo, nutriendo, progrediendo &c. De *materiæ* etiam non magna est difficultas; est enim principium passivum generationis, & omnium motuum, qui in ea
reci-

recipiuntur: & quia *materia* in genere principij passivi est primum, & à *forma* hoc non habet, univocè participat rationem *naturæ*.

2. *Ratio naturæ* etiam convenit *materiæ*, & *formæ* cœlorum: *materiæ* quidem, quia est naturaliter receptiva motûs naturalis, videlicet circularis: *formæ* verò, quia, licet non inclinet, ut activè se moveat ad locum (nec enim perficitur motu locali, cùm jam sit perfecta, & in perfecto statu) inclinatur tamen, ut passivè moveatur; quia est principium generationum, & alterationum sublunarium, quæ per motum localem cœli peraguntur, & ideò post diem judicij cœlum naturaliter quiescet; sublati enim generationibus sublunarium, *forma* cœli ad motum localem non inclinabit, & ita motus, & quies cœlo sunt con-naturales, sub diverso tamen statu, sicut lapis in centro naturaliter quiescit, extra centrum naturaliter movetur. Vide S. Thom. 1. p. q. 70. a. 3. ad 4. & 3. cont. Gent. c. 23. & q. 5. de pot. a. 5.

3. *Anima rationalis*, etiam ut *rationalis*, & ut *separata*, habet rationem *naturæ*; est enim forma entis naturalis, hoc est, hominis, estque principium internum motuum rationalium, videlicet intelligendi, volendi, flendi, ridendi &c. qui non sunt motus purè spirituales, cùm naturaliter ab

orga-

organis, & dispositionibus corporeis pend-
deant: & *anima* etiam *separata* naturaliter
inclinatur, ut sit, & operetur in corpore,
sicq; est vera forma physica, habetque phy-
ficas, & naturales operationes.

4. *Compositum*, ut includens personam,
& substantiam, v. g. homo, non est *na-
tura*, sed *naturatum*; substantia enim non
est causa operandi, ut suo loco dicitur:
compositum verò sine substantia, v. g. hu-
manitas, ut separata à substantia, secun-
dum aliquos non est *natura*, quia non est
primum principium motus, sed principia-
tum ex materia, & forma: secundum ali-
os est *natura* totalis, quæ sicut propriè ha-
bet esse, ita etiam propriè dicitur opera-
ri, & principium motus esse.

5. Angelis, propriè loquendo, non
convenit ratio *natura*, cum non habeant
motum physicum, hoc est imperfectum,
& divisibilem, ac intra materiam sensibi-
lem. Vide S. Thomam 1. p. q. 105. a. 4.
& 1. 2. q. 9. a. 6. Non defuerunt quidem
gravissimi, ac sanctissimi PP. ac DD. qui
docuere, Angelos naturaliter esse corpo-
reos, corpore tamen adeò subtili, tenuiq;
quale est aeris, aut lucis, ut in compara-
tione hominum spiritus dici debeant, &
ideò Angelos odio, ac amore rerum cor-
porearum tangi, Gen. 16. &c. fumis etiam,

ac odoribus fugari, *Tob. 6. musicâ deliniri, 1. Reg. 16. Ita S. Ambrosius lib. 4. de arca Noë. Origenes 1. de princip. Basilii c. 16. de Spir. S. Justinus M. in Apolog. 1. Augustinus lib. 11. de civit. c. 23. & lib. 12. & 15. Lactantius lib. 2. divin. Instit. Bernardus lib. 5. de considerat. Verum, Angelos esse omnino incorporeos, videtur definitum in Concil. Lateran. c. firmiter de Sum. Trinit. & in ultimo Lateran. sub Leone X.*

- 4 Resol. 3. Multa sunt, quæ *natura* conveniunt, & quæ per axiomata, ex libris Aristotelis desumpta, passim in scholis circumferri solent, quorum explicationes breviter dabimus.

1. *In omnibus rebus naturalibus Numen inest.* Aristoteles 2. de part. animal. c. 7. Omnis enim creatura Creatorem, à quo est, aliquo modo adumbrat, & spirat; sicut omnis umbra aliquid solis habet, motum videlicet, & situm: & omnis aqua, ex floribus expressa, aliquid habet sui floris, odorem videlicet, & virtutes medicas; ut ergò, quod notat Tertullianus, in statua Jovis olympici *Phidia artificis manus adorabantur* (nec enim Phidias, ut reliqui sculptorum, nomen suum operum basi inscribebat, *Phidias sculpsit*, sed ex elegantia, & artificio notabatur) ita Creator ex creaturis.

2. *Natura nihil frustra facit. Aristot. lib.*

1. *de cælo c. 4.* Quid in homine unguibus, pilisque vilius? ungues *natura* homini dedit, ut subtilissimas venas, quæ illic concurrunt, muniret: pilos capiti, ut cerebri humiditatem, ac commissuras foveret, tenerétque: &, ut à nimio frigore, ac calore custodiret, & ideò, cùm cerebrum hominis proportionem maximum, ac humidissimum sit, homo omnium animantium capite maximè piloso est. Vide Aristot.

1. 2. *de part. animal. c. 13. & 14.*

3. *Semper natura rei melioris auctor est, quoad ejus fieri potest. Aristot. l. 2. de part. animal. c. 14. & 2. de cæl. c. 1. Text. 24.* Et ideò, quia homo erecta est facie, & idcirco potest ab inferiore etiam parte, & superiore aliquid in oculos incidere, duobus cilijs oculum hominis vallavit, aliorum animalium uno tantum; sic, quia res corruptibiles non possunt semper esse, & tamen esse est melius, quàm non esse, providit *natura* generationes, per quas res in suo effectu, & specie conservantur: & ideò, quæ citò delentur, ut muscæ, bruchi, aves, numerosissima sunt, numero compensante brevitatem vivendi.

4. *Quæ per naturam insunt, non mutantur.* Nec enim ignis calorem, corvus nigredinem, Athiops colorem mutant, nisi fortior causa ab extrinseco urgeat.

5. *Na-*

5. *Natura non deficit in neceſſarijs.* Ariſtot. 2. de part. animal. c. 7. Hippopotamus, cū, gravari ſe morbo, ſentit, arundinum ſcifuras obſervat, & acutiſſimā venam in crure pungit, ſanguinēque minuit, ac plagam limo obducit: palumbi, graculi, merulæ ſuperfluos humores purgant, deguſtatis lauri folijs: cervi dictamnio ſagittas pellunt: halcyoni, ad oram maris nidulanti, ſternuntur venti, & jacent undæ, ne partum opprimant: cinclus, quia debilis volatu, ne deficiat, quō tempore ad nos redit, milvi ſcapulis ſuſcipitur: cuculus in alienis nidis parit, ne tamen alijs avibus oneroſus ſit, providit *natura*, ut ſolus ferè ſingula tantū ova pariat; parit verò in motacillæ tantū, luteolæ, & alaudæ nidis, quia ovum iſtarum ovis ſimillimum edit, & ita furtum ſimilitudine tegit, aliàs prodendus; idē autem fœtum in alieno deponit, quia ſe inviſum alijs avibus novit, ova, & ſtirpem deleturis, niſi falleret: en tibi *natura* ſolicitudinem avium ignaviſſimæ, ac turpiſſimæ, neceſſaria miniſtrantis!

6. *Natura ſuperfluis abſtinet, & defectum unius alio beneficio compenſat.* Exemplum eſt in talpa, cui aſpectum negavit *natura*, utpote ſub terra, & in tenebris degenti haud neceſſarium: aſpectum tamen auditu com-

pen-

penſavit, qui illis, etiam terrâ obrutis, acutissimus est.

7. *Natura in rebus præstantibus sæpè parca, & frugalis est.* Patet in sole, luna, gemmis, phœnice, & unâ tantum hominis specie, cum aliorum animalium sint innumeræ.

8. *Natura est rapax similitum.* Patet in magnete, qui ferrum, succino, qui paleas, vite, quæ ulmum, igne, qui naphtam, stirpibus, quæ aquam, aurum, quod hydrargyron, sole, qui heliotropium ad se rapiunt: & in corpore humano quælibet pars sibi similia ex alimento adsugit.

9. *Natura non operatur per saltum.* Proccedit enim per media ad extrema, ut videre est in anni temporibus, in rerum generationibus, in motibus de loco ad locum, de gradu ad gradum &c.

10. *Natura est æqualitatis amica.* Aristotel. lib. de cœl. c. 12. Exemplum est in supremo cœlorum orbe, qui paucioribus motibus cietur, & ideo stellis abundat: cœli verò planetarij pluribus motibus ciuntur, sed uno astro notantur: cætera animalia vestitu, & armis natura protexit, solum hominem nudum, & inermem edidit, quia illi ratio pro vestitu, & armis est: radices, herbæq; amaræ, quia alimento non serviunt, ideo plerumque medicinales sunt, & vim sanandi, purgandiq; habent: Agy-

ptus ob nimium calorem pluvijs destituitur, sed Nilus, per æstatem exundans, limoque fœcundans, pluvias compensat: Insula Ferri, una ex Canarijs, cum aquâ dulci careat, arborem tamen ingentem habet, ex qua imber, perpetuò defudans, potui sufficit: balœna, quia visu hebeti, pisciculum oblongum ducem habet, ne scopulos, aut brevia incidat.

II. *Natura unitatis est amica.* Et ideo omnia ad unum reducit, omnes motus, ac generationes ad motum primi mobilis: omnes partes corporis unâ pelle, & nodo unionis connectit: omnes ramos ad unam radicem, omnes rivos ad unum fontem, omnia elementa ad unam harmoniam, & proportionem, omnes numeros ad unitatem, omnes nervos ad unum cerebrum, omnes motus, & appetitus tam innatos, quàm elicitos ad unum finem reducit: & ideo omnia naturaliter divisioni repugnant, & omnia, quantum necessitas patitur, ad figuram rotundam, quæ maximè est una, aspirant, ut in cœlis, elementis, lapidibus, arborum truncis, floribus, fructibus patet.



Quæ.

Quæstio II.

Utrum Natura possit esse principium miraculose operationis? vel saltem mira operetur?

S U M M A R I A.

1. Quid sit miraculum, & quid mirum? 2. Quæ in admiratione concurrant? 3. Naturam non posse principium miraculose operationis esse, ostenditur. 4. & 5. Respondetur ad objecta. 6. Miranda tamen naturam producere, experientia docet.

PRænotand. 1. Aliud esse miraculum, aliud mirum. Miraculum definitur: operatio contra inclinationem, & supra vires totius naturæ, totius, inquam, non particularis aliqujus naturæ, aliàs projectio lapidis sursum, aut calefactio aquæ essent miracula. Mirum verò describitur: quòd sit operatio, quæ movet admirationem, etsi illa sit juxta inclinationem, nec supra vires totius naturæ. Ubi

2. Prænotand. 2. In admiratione, quæ ex operationibus, & effectibus miris oritur, hæc concurrere. *Primò*, ignorantia causæ, vel circumstantiæ, aut alterius conditionis, ad eam spectantis: sic videns eclipsin, & ejus causam, ac modum ignorans, ad-

miratur. *Secundò*, concurrit aliquod objectum novum, ac insolitum, saltem respectu nostri. *Tertiò*, datur fixio quædam, & suspensio mentis cum interna rei consideratione, ita tamen, ut metuat ferre iudicium, velut magnitudine rei insolitæ oppressa, & in hac suspensione videtur propriè consistere admiratio. *Quartò*, adest inquisitio latentis causæ; qui enim admiratur, naturaliter cupit scire, cur res ita fiat? *Quintò*, admiratio est causa delectationis: tum quia nova, & rara delectant, cum augeant scientiam: tum quia habet conjunctam spem consequendi cognitionem, quam desiderat. Vide S. Thomam 1. 2. q. 32. a. 8. & 1. p. q. 103. a. 7. & in *question. disput. q. 6. a. 2.* His prænotatis, sit

Resol. 1. Nullâ virtute naturali fieri miraculum potest. Vide S. Thom. 1. p. q. 110. & q. 114. & *question. disputat. q. 6.*

Ratio est 1. Si aliqua natura potest miracula operari, maximè poterit angelica, & diabolica, quæ omnium sunt potentissimæ: sed hæ non possunt miracula operari; ergò nulla. *min. prob.* Miraculum est operatio contra inclinationem, & supra vires totius naturæ: sed quod fit viribus naturalibus, seu Angeli, seu dæmonis, non est supra vires, & inclinationem totius naturæ: tum quia & Angeli, & dæmones

nes sunt causæ naturales: tum quia Angelo non est subjecta natura; non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ: ad Hebr. 2. tum quia tempore Antichristi dæmon habebit maximam virtutem operandi, adeo, ut si aliquando miracula facere possit, tunc maximè facturus sit, quia, ut dicitur Apocal. 20. Oportet eum solvi modico tempore: & 2. ad Thessalonic. 2. Eius adventus est in omni virtute, & signis: sed tunc nulla vera miracula operabitur, nam, ut adjungitur ibidem: & prodigijs mendacibus &c. videbuntur ergo miracula, sed non erunt, hoc est, applicabit per modum artis activa naturalia, & nobis incognita passivis, sicut nos, applicando semen, aut cepam terræ, florem educimus: aut etiam fascinis, & præstigijs, mirâquè celeritate oculis illudet, aut phantasiæ; idque per causas naturales, & opticas, faciendo, ut res nobis aliter appareant, quàm sint, sicut in somno, in coloribus iridis, motu cœlorum, aliisque patet.

Ratio est 2. *Miracula* sunt quædam dispensatio, aut immutatio legum naturalium: sed solus Deus potest in lege naturæ dispensare; ergo solus Deus potest miracula operari; ergo non Angeli, non dæmones, non ulla alia res naturalis. *min. prob.* Ille solus potest in lege dispensare,

eámque abrogare, qui aut legem condidit, aut ſupra Legislatorem eſt: ſed ſolus Deus leges *naturæ* poſuit, & nulla creatura eſt ſupra Deum; ergò ſolus Deus poteſt in lege *naturæ* diſpenſare, & conſequenter *miracula* operari.

Ratio eſt 3. *Miraculum* eſt quoddam teſtimonium divinæ virtutis, & veritatis, ut ſæpiſſimè Chriſtus in Evangelio Joannis repetit: ſed, ſi miracula ab alio fieri poſſent, quàm à Deo, non eſſent teſtimonium divinæ virtutis, aut veritatis, nec eſſet hæc bona conſequentia: Chriſtus dicit, *ſe Deum eſſe, & in hujus aſſertionis teſtimonium miracula edit*; ergò Deus eſt: ergò miracula ab alio fieri, quàm à Deo, non poſſunt. *min. patet*; poſſet enim *miraculum ſolis naturæ*, aut dæmonis operâ, ac viribus fieri, & ita teſtimonium falſi eſſe; ſicut quia lucere non eſt proprium ſolius ſolis, ſed etiam lunæ, ac ſtellarum, non ſequitur: *lucet*; ergò *ſol eſt*: malè ergò Chriſtus argumentaretur: *opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me: ſi mihi non creditis, operibus credite: ſi non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent. Vide Joan. c. 10. & 15. Item c. 5. ubi Chriſtus, ego, inquit, teſtimonium habeo magis Joanne; opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut*

per-

Sect. VI. De Natura, Arte, & Violento. 183
perficiam ea, testimonium perhibent de me &c.

4 Dices: Ægros repente, & absque medicinis sanare, est *miraculum*, *Luc. 4.* sicut & mutis vocem, & cæcis visum reddere, & aquam in vinum convertere, ut ex Evangelio patet: sed hujusmodi *miracula* ope dæmonum, & consequenter virtute *naturali* apud Ethnicos facta sunt; ergo virtute *naturali* fieri *miracula* possunt; ab actu enim ad potentiam est bona argumentatio. *min. prob.* Vespasianus, dum esset Alexandria, cæcum salivâ, mancum, aut manu laborantem calcatu restituit. *Tacitus Hist. l. 4.* Suetonius in *Vespasian. c. 7.* Vestales virgines duæ stupri accusatæ, alia hausit, tulitque ex Tiberi cribro haustam aquam: alia ingentem navim, arenæ hærentem, nec ullis viribus, & machinis mobilem, cingulo traxit, innocentia testimonio: Brennum Gallorum Ducem, cum exercitu viginti millium Delphicum templum spoliare parantem, Apollo delevit, magnâ montis parte in subeuntes prolapsâ, & tempestatibus adedò sævis, ut ne unus quidem cladi superfuerit: statuat etiam locutæ, quod plus est, quàm multos loqui; ergo &c.

Resp. 1. *Conc. M. Neg. min. ad prob. Neg. supposit. Ant.* Operationes adductas vera *miracula* fuisse, cum tantum fuerint præ-

stigiæ, & illusiones diabolicæ; nihil enim adeò verum est, cujus non aliqua sit à falso imitatio: quid vero colori similis, quàm qui in cœlo spectatur? quid magis veram faciem refert, quàm quæ in speculo lucet? si oculum interrogas, nihil verius: si veritatem, nihil falsius: Zeuxis volucres uvarum imagine, Parrhasius homines veli mendacio decepit; ergò mirum non est, ut omnibus rebus, ita etiam *miraculis* falsis veri aliquam imitationem esse, quæ fallat.

Resp. 2. *Neg. iterum min. ad prob. Trans. Ant. Neg. Consequent.* Etsi enim demus, cæcum fuisse à Vespasiano sanatum, aut potius ab Apollonio Thianæo celebri mago, qui tunc in aula versabatur, Imperatori præcharus, potuit illud virtute *naturali* fieri (& idem de alijs omnibus dicas) nam & chelidonia, & fel callionymæ piscis cæcitati medentur, testibus Plinio l. 32. c. 4. & 7. Gell. l. 10. *simplic.* Valles. *sacra Philosoph.* c. 42. potuit ergò dæmon invisibiliter has herbas, aliasve medicinas sibi notas applicare, & mederi.

Inferes: Eòdem pacto *miracula*, à Christo, & in vera Ecclesia facta, adscribi posse vel virtuti, ac scientiæ naturali, vel præstigijs, & illusionibus diabolicis.

Resp. *Neg. Illat. quoad utrumque membr.*
Nec

Nec enim primò adscribi possunt virtuti, ac scientiæ rerum naturalium: tum quia patrata sunt ab indoctissimis, quales Apostoli, aliique, qui literas nunquam didicerant: tum quia aliàs, qui magis rerum naturalium scientiâ sunt imbuti, eò magis, ac plura ederent miracula; cur ergò Plato, Aristoteles, Pythagoras, aliique non cæcos, non claudos, non mortuos restituerunt? cur victi à piscatoribus sunt? an desunt alijs, & falsis religionibus viri literati? cur ergò non æquè apud illos, ut apud nos, *miracula* sunt, si ista rerum naturalium scientiæ debentur? Non etiam *secundò* adscribi *miracula* Christi, & Ecclesiæ possunt dæmonum præstigijs; edita enim sunt ab ijs, qui ut sanctissimi, ita dæmoni erant insensissimi, cum econtrà experientia doceat, eos, qui magiam exercent, & operâ dæmonum utuntur, esse vitijs omnibus inquinatos; & alioqui, qui pejor est, eò plura *miracula* patraret. Deinde, quæ dæmonum sunt, ubique fiunt, sicut in veneficijs, & hæresibus patet; cur ergò in sola Ecclesia Catholica fiunt *miracula*? cæci illuminantur, claudi eriguntur, morbi sanantur, mortui resurgunt, cadavera fragrant? cur non apud Turcas, Indos, Calvinistas? an illic dæmones non sunt? Vide S. August. lib. 10. de Civit. c. 16.

6 Resol. 2. Quamvis *natura* miracula nulla operetur, operatur tamen *mira*. Vide S. Thomam. q. 16. de malo. & 3. cont. Gent. c. 104. S. Bonavent. in 2. d. 9. q. 3.

Ratio patet ab inductione illorum præcipuè mirabilium, quæ in homine *natura* operata est, quorum aliqua in medium afferre non pigebit. Mirabilia ergò hominum hæc sunt.

1. Nullum animal lachrymans nascitur, præter unum hominem. Plin. lib. 7. in Proëm. Nullus hominum ante 40. diem ridet. Idem lib. 2. Solus animalium homo fulmine non semper extinguitur, cætera illicò, hunc videlicet honorem homini tribuente *naturâ*, cùm tot belluæ viribus præstent. Idem lib. 2. c. 54. Homines, à scorpione aliquando percussi, nunquam postea à crabronibus, vespis, apibusque feriuntur, sicut & vestis, humano funeri aliquando instrata, nunquam amplius à tineis tangitur. Idem lib. 28. c. 3. Gens in Africa Pylorum fuit, postea à Nasamonibus deleta: ea serpentes solo corporum odore sopit, fugatque, & agnoscitur spurius, quem serpens non horret. Imò omnibus hominibus contra serpentes inest venenum; salivâ enim, velut fervente aquâ, vulnerantur, & si ea jejuni hominis fuerit, ac in fauces penetraverit, serpentem necat. Plin.

Plin. *loc. cit.* In Septentrione, haud procul ab ipso Aquilonis exortu, Arimaspi homines sunt, uno tantum in fronte oculo: bella cum gryphis gerunt, auri custodibus. Herodotus, Aristeas, Proconnesius, Plinius *l. 7. c. 2.* Reperiuntur non tantum in Thracia, & Scythia, sed etiam Indiâ in Moluccis Pygmæi, qui pugnant cum gruibus, fata vastantibus: pro vestibis illis capilli, & barba, ad talos profusa, quâ involvuntur: arietibus pro equis utuntur: sagittas peritissimè, & certissimè in scopum vibrant, & ideò tria illorum millia Indorum Regi pro excubijs sunt: venantur lepores, vulpēsque, sed corvis, ac milvis, non canibus. Idem *loc. cit.*

2. Sunt etiam capiti, cerebro, cordi, oculis, auribus, naribúsque hominum sua mirabilia. Ægyptiorum capita ita firma erant, ut vix lapidis ictu frangerentur; Persarum verò tam imbecilla, ut solo calculo: Indorum in Hispaniola ossa capitis tam dura, ut enses frangant: in Richelij Cardinalis capite omnia organa, functionibus mentis servientia, duplicata sunt reperta, hinc illi tanta facilitas primo statim momento implicatissima discernendi. Fuit in Italia, teste Cardano *de var. c. 44.* qui, sole oriente, capitis dolore quotidie corriperetur, continuo in meridiem auctu,

Etu, à meridiè decremento, vespere do-
 lorem finiente. Cerebrum homini pro-
 portione maximum, & viris majus, dua-
 bus ſuprà, ſubterque membranis velatum,
 quarum alterutram rumpi lethale; infan-
 tiâ palpitat, nec ante ſermonis exordium
 quieſcit: huc venarum omnium à corde
 vis tendit, hîc deſinit: ab eo proficiſci-
 tur ſomnus, & ideò quæ cerebro, etiam
 ſomno carent: temperat ſuâ frigidityte
 cordis, ſanguiniſque calorem, & ideò,
 quæ ſanguinem non habent, ut infecta,
 nec cerebrum: ne tamen nimio frigore
 geletur, & pilis caput veſtitur, & venæ
 frequentes, tenueſq; ſanguinis florem mi-
 niſtrant. Cor, teſte Plinio, primum vivit,
 noviſſimum moritur: audacia ſunt, qui-
 bus cor parvum, timida, quibus magnum:
 cremari non poteſt veneno interemptis:
 Plin. lib. 11. c. 37. Cor hominis anniculi
 duas pendet drachmas: ac deinceps ſin-
 gulis añis augetur pondere duarum drach-
 marum uſque in annum quinquageſimum,
 quò centum pendet drachmas: à quinqu-
 geſimo autem uſque ad centeſimum, ſingu-
 lis annis duabus drachmis minuitur uſque
 ad deſectum; & hæc eſt ratio, cur homo
 ordinariè non ultra centeſimum, ſano
 quamvis reliquo corpore, vitam produ-
 cat. Varro apud Altro. in hiſtor. monſtror.

pag. 69. Plin. lib. 11. c. 37. Oculi novissime in corpore formantur, sed primi moriuntur, cor novissime: puerorum oculi statim à partu cæsi sunt, postea paulatim in eam naturam mutantur, quæ futura est, & in senibus cæsum colorem recipiunt ob humoris raritatem: mira est oculi pernecitas, qui momento temporis à puncto terræ ad stellas firmamenti pertingit: Tiberius noctu absque lumine, radijs ex oculo, velut carbunculo, micantibus, omnia clarè videbat: Augustus Cæsar noctu æquè, ac interdiu videbat, tantam verò radiorum vim in præsentem vibrabat, ut ejus aspectum non sustinerent: Cleopatra Regina tanta in oculis illecebra, ut caperet, cogeretque amare, quos vellet, quod cum Augustus timeret, non aliter, quàm depressis oculis eam est allocutus: in Albania gignuntur quidam glaucâ oculorum acie, à pueritia statim cani, & qui noctu plus, quàm interdiu cernunt. Plin. lib. 7. c. 5. Est in Hispania genus hominum, quos *Zahurim* vocant, hi thesauros, herbas, metalla, sarcophagos, venasque aquæ intimis terræ visceribus latentia vident, deteguntque: est & natio Papuarum nigerrima, qui statim obcæcantur præsentia solis, quamvis istum non aspiciant; sufficit enim à sole aspici. Nieremberg. lib. 8.

c. 1. Apud Scythas homines sunt, quibus aures tam grandes, ut totum corpus illis velent, integantque: Plinius *lib. 4. c. 13.* imò aliquibus, quos *Tutanuchos* vocant, aures tam longæ sunt, ut sex viri sub illis lateant. Vide *Nieremberg. lib. 8. c. 1.* Oliverius Caraffa Cardinalis adeò rosarum odore abhorrebat, ut earum tempore Româ secederet, custodibus ad januas positus, ne quis salutantium rosas inferret: Barbarigus Monachus Dominicanus rosarum odore animo linquebatur: Laurentius Uratislaviensis, teste Cromero, rosarum odore extinctus est: Hamar quidam Dux Caravanæ ex solo odore, ubi locorum esset, agnovit: Sabæi, odoribus, qui apud illos nascuntur, stupefacti, sulphuris, hircinæquè barbæ suffitu recreantur.

3. Variæ quoque, & mirabiles ab humano corpore sunt medicinæ: saliva jejuni hominis, ut jam suprâ notatum, mor sui serpentum medetur: lepras quoque sanat, quotidie illita, item lippitudines, si manè inungas: siquod animal aurem intraverit, & inspuatur, exhibit: sordes ex auribus, statim impositæ, scorpionum morsus sanant: contusi dentis farina remedio est à serpente percussis: capillus puerorum, qui primò decisis est, podagræ im-

pe-

petus dicitur levare circumligatus: idem de cranij humani pulvere afferitur: in Flandria quotquot nati sunt die Parasceves, & quotquot, nullâ fœminâ intercedente, septimi masculi legitimo toro nascuntur, vim à febribus sanandi habere dicuntur: Reges Angliæ contactu, & quibusdam annulis spalmo, morbo comitali, ac strumis præfertim medentur, testibus Polydoro Virg. *lib. 8. hist. Anglic.* Petro Blesensi *Epist. 150.* De Regibus Francorum, ait Delrio *l. 1. c. 3. q. 4.* solo contactu strumæ medentibus, res est experienciâ, & medicorum testimonijs certissima: est in Hispania genus hominum, quos *Saludadores* vocant, hi salivâ, & halitu, quem ægris inspirant, morbis medicinam afferunt: néque hoc superstitioni, aut incantationibus, sed gratiæ, gratis datæ, adscribunt. Navarr. in *manuali c. 11.* Victor. *Relect. de Mag. Veracruc. l. 1. de anima specul.* Delrio *loc. cit.* Ple-risque autem illorum rotæ S. Catharinæ vestigium inest.

4. Illud etiam mirabile est, homini jam provecto, & seni redire juventutem, sicut arboribus, serpenti, phœnici, aquilæquæ. Sagunti in Hispania Abbatissa quædam vetula fuit, cui subito dentes renati, comæ ex canis in nigras tinctæ, rugæ depositæ, facies florida, lævis, & rosis picta, adeo

adeò, ut pudore latuerit. Nieremberg. *lib.*
8. c. 9. Maffeus quòque, & ex illo Nierembergius, aliique referunt, Indo cuidam
 seni ter juventam post totidem senectutes
 reffloruisse, vixit annos trecentos.

5. Sed & illud in homine mirum, nasci aliquos à natura signatos, & notis distinctos. Seleucus, & omnes ex Seleuco nati, anchorâ in femore, aut pectore notabantur: Augustus, cynosurâ insignis, ex utero prodijt, maculis eòdem numero, & proportionè sparsis, quâ stellæ polares: Joanni Friderico Saxoniae Duci, anno 1503. nato, crux flammei coloris dorso impressa: Jacobus Britanniae Rex leonem, gladium, & coronam tulit: Cerzanorum Reges signum nigræ aquilæ &c. Vide Jonston. *f. 477.*

6. Repentinæ etiam sunt, & miræ, quæ homini contingere solent, mutationes. Vir quidam celeberrimi nominis foricem, qui studenti obstrepebat, baculo percutit: tum projicit: maduerat manus sanguine occisi, quâ dum more solito genam sustentat, omnis barba, pilique nescienti excidunt: cum in publicum prodiret, fissu omnium exceptus est, alterâ genarum nudâ, alterâ pilis densâ: quis credidisset, foricis sanguinem depilare? Orosius quidam in aula Ferdinandi Caesaris metu mortis,

tis, quam expectabat, unâ nocte incanuit :
 idem Ludovico Bavarix Duci accidit, qui
 cum Mariam conjugem adulterij suspe-
 ctam, quamvis innocentem, ferro sustu-
 lisset, proximâ nocte adeo spectris vexa-
 tus est, ut, quamvis juvenis, florensque,
 canus surrexerit, & septuagenario similis.
 Franciscus Gonzaga Mantux Princeps af-
 finem suum, conjurationis reum, in turri
 ad supplicium servari jussit, ille ob metum
 unâ nocte canus apparuit : Lescus Polo-
 norum Rex filium Ratislaum, perduellio-
 nis reum, à quatuor larvatis sandapilâ no-
 ctu dormientem efferri in lapifodinam
 jubet : sequenti nocte in thalamum ab ijs-
 dem larvatis reponitur, sed octuagenario
 similis (cum annos ageret duos, & vigin-
 ti) barbâquè, ac capillis, nive candidio-
 ribus.

7. Miræ denique sunt repentinæ homi-
 num mortes. Dionysius primus Tyrannus,
 & Sophocles Poeta gaudio extincti, iste,
 quod decantatæ tragœdiæ ante alios, &
 extremâ senectute præmium acceperat,
 ille, quod in ludis, Baccho celebrari soli-
 tis (erant choreæ solennes circa torcula-
 ria, musto spumantia) victor evasisset :
 Diodorus Dialecticæ Professor, pudore,
 quod implicatis quæstionibus, à Stilpone
 propositis, coram Demetrio Rege respon-

dere non poſſet, & ideò rideretur: duo Cæſares, dum calceantur, obiêre: Cneius Pamphilus, cùm à puero horam quæſiſſet: Zeuxis riſu ob vetulam, quam fœdiſſimam pinxerat &c.

8. Totâ denique humani corporis fabricâ quid admirabilius? mirari Antiquitas ſatis non potuit Dianæ Ephæſinæ templum, unum ex Orbis miraculis, cui quadringenti anni inſumpti: ſcala una ex Cypria vite: tabulæ, & lignamenta ex cypreſo, cedro, ebenoque: irrigatio humectandis tabulis, ne rimas agerent, ex nardo pretioſiſſimo, multis foraminibus fuſo: tanta marmoris radiatio, ut ab ædituo moneantur ingredientes, oculis parcant: columnæ 127. à ſingulis Regibus factæ, & denique totâ Aſiâ laborante: hanc, inquam, tam auguſtam, & pretioſam molem non alio fundamento, quàm molliſſimis pulvillis, carbonibus, lanæquè innixam: at quantò admirabilius eſt, humani corporis fabricam, cui non Aſia tota, nec Orbis ſufficiat, è tribus tantùm bullis educam? in illa ſeptem Planetarum influxus, & proprietates; cor enim Solem agit calore, eúmque perpetuo motu, calore, influxu, & alternatione affectuum, velut ſignorum Zodiaci, imitatur, cerebrum lunam humiditate, lingua Mercurium ſa-

cun-

Sect. VI. De Natura, Arte, & Violento. 195
cundiâ, fel Martem incendio, lien Satur-
num frigido, tristique temperamento,
fœcunditas, & partes ei servientes Vene-
rem &c. sunt etiam corpori sua elementa:
bilis ignea, sanguis aëreus, pituita aquea,
melancholia terrea: sunt & meteora, ful-
gura, pluvix, irides in oculo, tonitrua
in voce, venti in pulmonibus, exhalatio-
nes in capite, flumina tot alveis, quot
venis, sparsa, auræ in suspirijs; & hæc
omnia à tribus bullis profecta, ut videli-
cet materiæ vilitas sapientiam Artificis
commendet. Multa adhuc de *mirabilibus*
brutorum, plantarum, cœli, stellarum &c.
plura etiam de *mirabilibus* hominum super-
essent dicenda: hæc tamen sufficiunt, ut
ostendant, naturam operari *mira*, etsi mi-
racula nulla operetur, nec operari possit.

Quæstio III.

*Quid, & quotuplex sit Ars? un-
de Artes nata? quis inter eas or-
do? & quomodo Natura cum
Arte conveniat?*

S U M M A R I A.

1. Refertur definitio artis ex Galeno, & exponitur.

N 2

2. Va-

2. *Varia ejus diſiſiones, ac ſubdiſiſiones.* 3. *Tres ſunt cauſa, qua initium artibus dederunt, inter quas potiſſima eſt experientia.* 4. *Ad veram, & propriam experientiam quid requiratur?* 5. *Utrum experientia etiam primis principijs neceſſaria ſit, vel ſaltem utilis?* 6. *Solvitur obſectio.* 7. *Inter artes Mathematicam, Physiologiam, & Metaphyſicam triplex ordo ſtatuitur.* 8. *Reſpondetur ad obſectionem.* 9. *Inter alias artes quamnam praſtet?* 10. *Varijs modis natura convenit, & diſconvenit cum arte.*

REſol. 1. *Præter definitionem artis, ex Ariſtotele lib. 6. Ethic. c. 3. in Logica traditam, aliam, & magis receptam tradit Galenus c. 5. Introduct. Ars eſt collectio multarum de una re comprehenſionum ad finem aliquem utilem vitæ. Hæc definitio non excludit ſcientias practicas, nam & iſtæ utiles ſunt vitæ intellectuall, quam perficiunt, & errore eximunt.*

Dicitur 1. Collectio multarum comprehenſionum: quia habitus nec uno actu generatur, nec ad unum actum, ſed multis præceptis, regulis, ac actibus continetur: comprehenſiones pertinent ad intellectum, & ita excludunt omnes habitus extra intellectum, v.g. voluntatis &c. excluduntur etiam habitus intellectûs defectivi, qui errare poſſunt, v.g. errores, falſæque opinionες; quamvis enim ſint cognitio-

nitiones, non tamen veræ: nomen autem absolute positum pro vero supponit, sicut aurum pro vero auro, imago pro vera imagine &c. quia hæc nomina sunt rebus veris, non falsis imposita.

Dicitur 2. *De re una*: unius enim habitus unum objectum formale est, ut alibi dictum; & præsertim, quia artis est ordinare, unde in objecto, & artefacto unitas ordinis, proportionis, & symetriæ: & ideo *ars* mater ordinis vocatur; vix enim aliud *ars* facit, quam ut, quæ natura dedit, in ordinem collocet: disputabit aliquis, perorabit sine *arte*, sed vix ordinate; ordo claritati, & facilitati servit, ac præsertim memoriæ. Hæc verò unitas objecti non est singularis, sed communis; regulæ enim artis, v.g. pictoriæ, non pro una tantum, sed pro omnibus imaginibus faciunt, secus ac prudentia, & experientia, quæ de singularibus sunt; feruntur enim in hunc numero actum: at pictoria, architectonica &c. non in hunc numero imaginem, aut in hunc numero domum.

Dicitur 3. *Ad finem aliquem utilem vitæ*: hinc artes à theoria, & scientijs contemplativis distinguuntur: hæc sui gratiâ, illæ utilitatis causâ & inventæ, & exercitæ: Artes maleficæ aut ideo artes non sunt, quia non certis regulis, sed fallacibus, & merè

contingentibus utuntur (ut magicæ, & Astrologiæ judiciaræ) aut ideò, quòd non tam intellectui perficiendo, ac veritati, quàm paſſionibus, malèque affecto animo ſerviant, & ideò nec ſint homine dignæ, nec diſcendæ. Cæterùm ſi per regulas naturaliter certas procedant; v. g. certis modis venena temperare doceant, artes omnino ſunt: *tum* quia intellectum perficiunt cognoscendo: *tum* quia officium artis non eſt, operantem bonum facere, ſed opus regulis conforme; imò per hoc artes à prudentia differunt, quòd hæc requirat appetitum benè affectum, & dirigat in ultimum finem: artes bonum tantùm artifi-
cij, & naturalem operis perfectionem, abſtrahendo, an beatæ vitæ conducat. Vide S. Thomam 1. 2. q. 52. 4. 3. & 4.

2. Reſol. 2. *Artes* dividuntur 1. in *activas*, & *factivas*. Activæ ſunt, quæ operationibus immanentibus deſerviunt, & nullum opus poſt ſe relinquunt; ut Logica, Grammatica, Rhetorica &c. Factivæ ſunt, quæ operationibus tranſeuntibus deſerviunt, & hæ aut opus poſt ſe relinquunt, ut Pictoria, Statuaria &c. aut non relinquunt, ut Muſica, Nautica &c.

2. Dividuntur artes in *practicæ*, & *ſpeculativas*, hæ pro fine habent contemplationem, & veritatem, illæ operationem:
qua-

Seçt. VI. De Natura, Arte, & Violento. 199

quarum aliæ sunt *intellectivæ*, & aliæ *appetitivæ*: istæ voluntatem, ut *Scientia moralis*, illæ intellectum, ut *Logica*, dirigunt. *Moralis* subdividitur in *Ethicam*, quæ homini, *Oeconomicam*, quæ familiæ, *Politicam*, quæ reipublicæ præest. *Ars speculativa* in *Physicam*, *Mathematicam*, & *Metaphysicam*, siue *Theologiam naturalem* dividitur. *Physica* una est, ad quam *Medica* reduci potest. *Mathematica* subdividitur in purè *Mathematicam*, & *Mixtam*, hoc est, *Physico-mathematicam*. Purè *Mathematicæ* sunt, quæ agunt de quantitate, seu ente extenso, ejusque affectionibus, abstrahendo ab omni materia sensibili, tales sunt *Arithmetica*, & *Geometria*, quæ numerum, & magnitudines ut sic, non ut in numeris, aut corporibus inveniuntur, considerant. *Mixtæ* sunt, quarum objectum est partim naturale, partim mathematicum, hoc est, quantitas aliquo modo materiæ sensibili, & mutabili affixa, & sunt *Perspectiva*, *Musica*, *Cosmographia*, quæ *Astronomiam*, & *Geographiam* continet; *Perspectiva* enim, seu *Optica* est de lineis visualibus, quæ procedit per principia & geometrica, & naturalia, ex angulis, & oculis petita: *Musica* est de numeris, & proportionibus, ut in voce, & sono repertis: *Cosmographia* agit de ma-

gnitudine mundi, ejusque partibus, ac motibus, præcipuas demonstrationes capit ex sensibilibus observationibus.

3. Dividuntur artes in superiores, & inferiores. Superiores sunt Physiologia, Ethica, Theologia. Inferiores sunt quatuordecim, quarum septem *liberales*, quòd animum excolant, partem hominis liberam, videlicet: *Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia*; septem verò *serviles*, quòd versentur in opere mercenario, & corpore exerceantur, parte hominis subditâ: dicuntur etiam *mechanica*, eò quòd ordinariè per machinas, aut instrumenta quædam corporea exerceantur, & sunt: *Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, Nautica*; inter has ipsas verò *serviles* aliquæ sunt præstantiores, & *liberis* proximæ, quòd plus ingenio, quam viribus valeant. *Liberales, & serviles artes* duobus his versibus continentur:

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus,
astra:*

*Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana,
rates.*

Lingua Grammaticam significat, *tropus* Rhetoricam, *ratio* Dialecticam, *numerus* Arithmeticam, & ita de reliquis; singulæ enim voces, singulas per ordinem artes denotant.

Re-

3. Resol. 3. Variæ sunt causæ, quæ initium artibus dedere.

1. Est *admiratio* ; cùm enim viderent homines aliquos à natura effectus, eosque vitæ humanæ aut utiles, aut saltem delectabiles, eos primùm admirati sunt : deinde causas indagârunt, & inventas imitati sunt, & ideo *ars simia naturæ* dicitur.

2. Est *necessitas*, naufragijs natare, frigore, & æstu vestiri, fame coquere, iniurijs bellare didicimus.

3. Et præcipua est *experientia*. De hac Aristoteles 1. *Metaph. c. 1. Experientia artem effecit, inexperientia verò casum*. Experimento v. g. compertum est, rhebarbarum radicem purgasse choleram Socrati, Platoni, Alcibiadi &c. ex hac observatione experimentalis notitia universalis nata est, rhebarbarum choleram purgare, & sic de alijs : cùm enim intellectus sit tabula rasa, nec cognoscat, nisi sensu movente, sensus verò sit singularium, oportet experientiam, quæ est singularium, priorem esse arte, & scientiâ, quæ sunt universalium : nec potest intellectus judicare, omnibus hominibus aliquid convenire, quod non prius huic, & illi convenire, judicaverit. Circa quam experientiam.

4. Adverte 1. *Experientiam*, latè sumptam, dici posse perceptionem cujuscunque rei

singularis, etiam semel tantum acceptam; potest enim dici aliquis expertus esse, quod vinum inebriet, etiamsi id semel tantum passus, aut in alio viderit; oportet ergo ad veram, & propriam *experientiam* non semel tantum, sed sæpius eundem effectum experiri, imò neque hoc sufficit: sed oportet, intellectum unum effectum cum alio conferre, & observare, an omnimoda similitudo, & confluxus circumstantiarum interveniat, & tunc iudicium formare universale; *experientia* ergo à sensu incipit, sed perficitur in intellectu, idem de omnibus, & in similibus circumstantiis judicante: defectu hujus collationis, & iudicii, experimentum ab Hippocrate fallax dicitur, nec brutis *proprie* convenit.

- § Adverte 2. Prima, & universalissima principia cognosci etiam ab inexpertis posse: oportebit tamen, *experientiam* aliquam accedere, ex qua intellectus terminos apprehendat, eorumque significationem intelligat, & ideo cæcus huic principio assensum dabit: *impossibile est, aliquid esse, & non esse; sed non huic: impossibile est, solem lucere, & non lucere: quia nunquam expertus est solem, & lucem, & ideo terminorum significationem non apprehendit, cujus defectu nec assensum principiis præstat: & rustico, aut pueris prima principia*

pia exemplis non tam probamus, quàm explicamus; nescit enim, quid sit totum? quid pars? nisi exemplo ostendas civitatis v. g. magnâ turri, aut hominis, magno capite instructi: & ideò *experientia* etiam primis principijs valdè utilis est, quæ tamen non tam est ratio assentiendi, quàm applicatio objecti: sicut præsentia, & debita situatio coloris illuminati non est ratio videndi, sed tantum conditio sine qua non, & applicatio objecti. Principia verò particularium scientiarum, v. g. *materiam esse incorruptibilem*, quæ non tantum cum inventione, sed etiam cum disciplina acquiruntur, *experientia* indigent; nemo enim certum, & indubitatum assensum illi principio dabit, nisi qui expertus fuerit, omni composito corrupto aliquid remanere, & ex nihilo nihil generari: & his *experientijs* ductus rationem à priori indagare conabitur, hanc videlicet: *nihil corrumpitur, nisi à contrarijs*: materia non habet contraria (cùm omnes formas appetat, omnes recipiat) quæ tamen præmissæ partim *experientia*, partim naturali lumine notæ sunt. Semper ergò est verum, *experientiam* omnibus artibus, etiam primis principijs aut necessariam, aut valdè utilem esse. Sed

- 6 Dices: Quî fieri potest, *experientiam*, quæ non est omnium singularium, causam

sam esse iudicij, & notitiæ universalis? qui enim dicit: *omnis ignis naturaliter calidus est*, non omnes est expertus: quis novit, in Æthiopia, ubi corvi sunt albi, non esse ignes frigidos?

Resp. Sicut ex ungue leonem, ex vestigio corpus, & avem ex cantu, ita ex aliquot singularibus universalia colligi: quæ naturâ talia non sunt, videmus, saltem mutatis circumstantijs, mutari, ignis nunquam calorem, nec hyeme, nec æstate mutat; est ergò naturaliter calidus: si frigidus in Æthiopia sit, alius specie à nostro erit; sicut si sol ibi esset lucis, ac caloris expers: nolo priùs credere, ignes frigidos dari, quàm tangas, tanges fortè difficiliùs, quàm dicas.

7 Resol. 4. *Ordinem artium* quod attinet, is vario respectu varius est; nam

I. Ordine *certitudinis* prima est *Mathematica*; demonstrationes enim mathematicæ duplicem habent evidentiam, sensibilem, & intelligibilem, v. g. globum terræ respectu firmamenti punctum esse, probat Mathematica; quia ubique terrarum nobis apparet media pars cœli, perinde ac in centro media pars circuli: à centro ad peripheriam æquales lineas duci; quia centrum ab omnibus peripheriæ partibus æqualiter distat: quæ omnia & oculo, &

ra-

rationi manifesta sunt. *Physiologia* secundum certitudinis locum tenet; est enim de materia sensibili, v. g. matutino tempore, quamvis sol vicinior, majus est frigus, quàm nocte, quia longior solis absentia; quia matutino tempore ros, & pruina cadunt; quia, concocto jam cibo, & stomacho inani, frigus magis sentitur; ubi vides, principia hujus physicæ demonstrationis sub sensum cadere, qui, objecto ritè applicato, rarò fallitur. *Metaphysica*, cùm sit de rerum essentijs, formisque separatis, quæ in sensum non cadunt, parùm certitudinis habere videtur, licèt in se sit certissima; sicut enim oculus, ita & intellectus à remotis decipitur.

2. Ordine disciplina primæ sunt *Mathematica*. 2. *Physica*. 3. *Metaphysica*; sicut enim faciliùs videntur, quæ clariora, & vicina, ita faciliùs intelliguntur, quæ certiora: à facilioribus autem initium discendi.

3. Ordine dignitatis prima est *Metaphysica*. 2. *Physica*. 3. *Mathematica*; dignitas enim essentialis ab objecto, tanquam à specificativo sumitur, non à certitudine, evidentia, aut facilitate secundum nos, quò enim objectum est altius, & perfectius, eò etiam secundum se est clarius, certius, & evidentius, ut patet in Deo: & stellæ, quò altius positæ, plus habent

lucis, magiſque ſpectabiles ſunt, quamvis quæ vicinæ ſunt, magiſ nobis luceant, & grandescant. Obſcuritas ergò, & inevidentia objecti metaphyſici non eſt iplius objecti, aut ſcientiæ ſecundum ſe, ſed noſtri intellectûs; quod igitur Metaphyſica, ſecundum ſe clara, & certa, nobis ſit obſcura, & dubia, nihil ejus dignitati derogat, ſicut nec ſtellæ ideò minùs claræ, quia nobis minùs vicinæ, minùsque apparent.

- 8 Dices: Nobilitas ſcientiæ, vel artiſ non eſt ex objecto, ſed ex modo tendendi magiſ, minùsque perfectò: ſed modus tendendi Metaphyſicæ eſt minùs perfectuſ, minùsque claruſ, certuſque modo tendendi Phyſicæ, & Mathematicæ; ergò Metaphyſica non eſt ordine dignitatis prima, ſed ultima. *min. patet ex ſuprà dictis. M. verò prob. à pari.* Nobilitas, & perfectio imaginis (qualis eſt omniſ cognitio intellectualiſ) aut picturæ non ex eo eſt, quòd rem pulchriorem, aut nobiliorem repræſentet, ſed ex modo, & arte: ſanus ægro præſtat, & tamen tabula ægrotantiſ ab Apelle picta, & teſte Plinio laudata, ac ab Attalo Rege 100. talentiſ empta (talentum Atticum 600. noſtratibuſ aureiſ valet) prælata eſt multiſ valentium imaginibuſ; ergò idem dicendum de nobilita-

litate, & dignitate scientiæ, vel artis.

Resp. 1. *Trans. M. Neg. min.* Metaphysica enim secundum se perfectissimo, & certissimo modo in objectum suum fertur: inevidentia verò, & incertitudo non est ex natura ipsius scientiæ, sed intellectus, in quo recipitur; semper enim verum est, elemento aquæ perfectissimam figuram, hoc est, rotundam deberi, quamvis figuræ vasis aptetur.

Resp. 2. *Neg. M.* Sicut enim nobilitas absoluta compositi ex forma, non ex modo, quò unitur subjecto, desumenda est; ita nobilitas cognitionis, & scientiæ ex objecto, quod est forma intelligibilis, & idealis, non ex modo, quò intellectui objectum unitur, magis, minusve claro, evidenti, certoque: alioqui nobilior esset muscæ prætervolantis contemplatio, quæ certa est, evidensque, quàm stellæ polaris, quæ obscura, difficilis, nec intuitiva.

Ad prob. Trans. Ant. Neg. Consequent. & Parit. Nam scientia, & cognitio sunt imagines veri naturales, & perfectivæ; anima enim, cum naturaliter sit veri appetitiva, eòquè delectetur, quò pulchrius est verum, eò magis satiat, delectatque, amorem, aliosque motus in anima ciet: nec impedit, illud verum non ita clarè, certoque cognosci; nam facies pulchra, &

ve-

velata plus amatur, placétque, quàm turpis, & detecta: & in speculo tantò pulchrior imago, quantò pulchrius objectum, licèt fugacius, & speculo imperfectè, hoc est, mutabiliter unitum: & forma plantæ multò magis perficit, ornátque materiam, quàm forma lapidis, quamvis ista stabiliùs materiæ uniatur, illa fluxiùs, & in brevius tempus.

9 Quæres: Quis sit òrdo dignitatù inter alias artes?

Resp. Inter alias artes quæ præstet, ex sequentibus regulis collige.

1. *Artes*, quæ facultatibus animæ potiùs, quàm corporis exercentur, præstantiores sunt; Pictoria enim, Sculptoria, Architectonica, in quibus plus ingenij, quàm roboris est, nobiliores sunt agriculturâ, pistoriâ, lignariâ &c.

2. Quæ imperant, perfectiores sunt, quàm quæ exequentur, v. g. Architectonica nobilior mechanicis, Nautica remigatorijs, Imperatoria militari, Medica chirurgicis, aut pharmaceutricis &c.

3. *Artes*, quæ corpus fœdant, ignobiliores sunt illis, quæ non fœdant, v. g. pistoria, agricultoria, coquinaria &c.

10 Resol. 5. *Natura* multis modis cum arte convenit, dissidétque.

Convenit 1. *Natura* opéra, sicut opéra

ra artis, procedunt, hoc est, certis, ratiisque legibus, ac ordine; & ideo naturam *artem Dei* Philosophi nuncupârunt, Deum verò *ἀριστοτέλειον*, hoc est, optimum artificem.

2. Sicut agens *naturale* producit sibi simile quoad formam physicam; ita agens *artificiale* quoad formam technicam, & idealem, menti suæ impressam, & utraq; formam educit ex subiecto disposito, ac præparato.

3. Sicut *ars naturam*, sic *natura Deum* supponit.

4. Tam *ars*, quàm *natura* sensim proficit, & de imperfectioribus ad perfectiora progreditur, & ideo imperfectorum major, quàm perfectorum, copia; hæc enim plura illis requirunt. Vide Aristotelem in *Problem. sect. 10. problem. 44.*

5. Ut *natura* tantò nobilior, quantò propius ad divinam accedit, cujus est imitatio; ita tantò *ars* nobilior, quantò *naturam* magis exprimit: talis fuit Alexander fulminans Apellis, digitis eminentibus, & fulmine velut extra telam micante, tanto operis, famæq; successu, ut vulgò diceretur: duos esse Alexandros, unum Philippi, nullis viribus superabilem, alium Apellis, nullâ arte imitabilem.

6. Et in *artis*, & in *natura* operibus ca-

sus

sus locum habet: casus pinxit Pyrrhi achatem: casus Americam naufragio Alphonsi Sanchezij detexit: casus expressit spumam equo currenti, spongiâ coloribus plenâ in tabulam à Protogene impactâ. Vide Plin. lib. 35. c. 10.

Differt *ars* à *natura* 1. *Natura* res veras efficit, *ars* falsas, & vero tantum similes.

2. *Ars naturam* perficit, ut patet in cantu, medicina &c.

3. *Forma*, per *artem* inducta, non generat aliam formam *artificialem*, v. g. domus non producit domum; bene autem formam *naturalis*. Vide S. Thom. lib. 2. cont. Gent. c. 76.

4. *Forma naturalis* advenit enti in potentia: sed *artificialis* enti in actu.

5. *Ars* tota in superficie hæret, interiorum plerumque negligens: *natura* verò interna magis elaborat, quia magis necessaria.

Quæstio IV.

Utrum Ars possit efficere opera Naturæ, vel saltem mirabilia?

SUMMARIA.

1. Exponitur status Quæstionis. 2. *Ars* propriè, imediatè, & per se opera *naturæ* non efficit. 3. *Æq*

tamen, ac natura, miranda producit. 4. Referuntur tres modi consificendi lampades, si non perpetuas, saltem in multa secula durabiles.

1 **P**Rænotand. Cum ars non tantum imiteretur, sed etiam perficiat naturam, eamque in suis operationibus mirè adjuvet, ita nimirum, ut hæc illius interventu opera sua certius, & facilius producat, quemadmodum in Medicina, Agricultura, alijsq; artibus patet, oritur Quæstio, an eò usque ingenium artis pertingere queat, ut etiam opera natura efficere possit propriè, & per se, hoc est, immediatè? mediatè enim, & directivè, applicando videlicet activa, & passiva naturalia, ex quibus effectus naturalis sequitur, extra dubium, & controversiam est; sic enim per directionem artis ex intestinis boum nascuntur apes: sic in Ægypto non gallinæ calore naturali, sed in fornace moderato quòdam calore pulli excluduntur &c.

2 **R**esol. 1. Ars propriè, immediatè, & per se loquendo, non potest efficere opera natura.

Ratio patet tum ab experientia: tum quia Ars est habitus intellectualis, in intellectu consistens: sed intellectus non est immediatè ad extrà operativus, ut patet; ergo nec Ars.

3 **R**esol. 2. Sunt tamen sicut natura, ita

quoq; *artis multa miracula, seu mirabilia*; nam

I. Meritò inter *miracula, seu mirabilia ars* navigandi censetur: quid enim mirabilius, quàm per tot scopulos, per tot undarum montes, ventorum bella sine itinere, sine vestigijs, sine ducibus, sine facibus, sine litoribus, & ripis, quæ portum, & metam laboris, ac navigationis ostendant, cæcâ nocte, densisque tenebris, omnia tamen videre operâ chartæ hydrographicæ, ac si oculis præsentia essent, gubernatore in abdito, recessûque latente, & sibilo itinera, naufragia, scopulos, ventosque, ac omnem navis motum præcinente? Tot hominum, opum, mercium regnorumque vis ab acicula pendet, magneti affrictâ, parvâque papyri plagulâ, in qua triginta duæ lineæ calamo ductæ, & tot ventorum, ac graduum indices: quis unquam credidisset, potuisse in re tam exili tantum esse momentum, usumque? In Nilo navibus ex papyro, scirpo, aut arundine navigatur: in Mongiæ portu in Gallecia navis est tota ex vivo lapide, malus quoque, & vela: & cùm tanta sit moles, à quovis puero moveri digito potest; in ea fertur Deipara apparuisse. Nieremberg. *lib. 1. c. 23.* Machomet II. cùm Constantinopolim obsideret, spatio duarum leucarum 70,

myoparones, qui velis tantum aguntur, & 80. triremes unâ nocte terrestri itinere deportari fecit, & in portum urbis demitti, conatu planè inaudito, & inimitabili. Anno 1520. una ex navibus Ferdinandi Magellani, quam postea ab eventu *Victoriam* nominârunt, Hispali solvens per fretum Magellanicum, superato Athlantico mari, ad insulas Moluccas pervenit, inde per mare Æthiopicum, superato Bonæ Spei promontorio, Hispalim, & prima enavigati oceani palmam tulit, quod cum secundò fecisset, & tertio repeteret, tandem naufragio perijt, indignante mari, se toties à ligno vinci. In hanc navim Poëta sic ludit :

Prima ego velivolis ambivi cursibus orbem,

Magellane novo te duce vecta freto :

'Ambivi: meritòque vocor Victoria: sunt mē

Vela alæ, pretium gloria, pugna mare.

P. Bartoli in *Geographia morali* scribit, naves, cum ad promontorium Bonæ Spei perveniunt, triduo sub undis sepultas luctari, omnibus fenestris, rimisque, ne aquam admittant, occlusis.

2. *Mirabilia* Picturæ hæc sunt: initium picturæ fuit umbra hominis, lineis circumducta; ut ergò homines ex luto, ita hominum pictura ex umbris fuit: Zeuxis tanto artificio uvæ pinxit, ut in illas deceptæ

aves irruerent: Parrhaſius linteum tantâ veri imitatione, ut Zeuxis velum crederet, & removeri flagitaret: Apelles duas lineas in tabula pinxit tantâ ſubtilitate, ut oculum effugiant, ipſâquè inanitate placeant, & hoc ipſo viſum alliciant, quòd videri non poſſint: Idem carbone, ex foculo raptò, imagines vultuum tam ad vivum expreſſit, ut protinùs intelligeret Ptolomæus Rex, quorum eſſent; pinxit & equum, cui ſoli, inter multos alios, ab æmulis pictos, quoties proponebatur, equi, tanquam vivo, adhinnivêre; unum in Apelle imitari nemo potuit, quòd abſoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut repercuſſu colores excitaret, nimisquæ floridos frangeret, ac à pulvere cuſtodiret, & imagines ſpeculo potiùs, quàm telæ inductæ viderentur: Protogenes Jalyſum pinxit coloribus quater uno ſuper alium inductis, cujus tanta venuſtas fuit, ut Demetrius Rex metu illius perdendæ obſidionem Rhodi ſolveret; ferunt, toto huius picturæ tempore omni cibo, potùque præter lupinos abſtinuiſſe, ne curam, & laborem intermitteret: de hac tabula hæc Plinius *lib. 35. c. 10.* *Demetrius, relictis victoriæ ſuæ votis, inter arma, & murorum ictus ſpectavit artificem, crevitque huius tabulæ fama, quòd eam Protogenes ſub gladio pinxerit.* Me-
tho-

thodius Monachus, & pictor judicium coloribus expressit tantâ judicis majestate, & reorum terrore, ut ejus aspectu Bogor Rex Bulgarorum concussus, cum tota gente Christianus fieret &c.

3. In statuis hæc miranda: solis Colossus Rhodius, quem fecerat Chares Lyncidius Lysippi discipulus, septuaginta cubitorum altitudinis fuit: hoc simulacrum, post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, jacens quôque miraculo est: pauci pollicem ejus complecti possunt; majores sunt digiti, quàm pleræq; statuæ; vasti specus hiant de fractis membris; duodecim annis effectum talentis trecentis, hoc est, centies octuagies mille aureis; ejus fragmentis Ægyptius Soldanus 700. camelos oneravit. Mons integer in Semiramidis statuam formatus. Memnonis statua ex marmore ferrei coloris, quæ, solis orientis radio contacta, in modulos solvitur; ea Thebis in delubro Serapidis posita. Alia multa omitto, quæ passim videri possunt.

4. Illud quôque admiratione dignum est, *artem* humanam, tantorum operum effectricem, nunquam tamen potuisse hæc tria moliri: *motum perpetuum*, *demonstrationem tetragonismi*, seu *quadraturæ circuli*, & *lumen perpetuum*.

Motum perpetuum quod attinet, patet experientiâ, nunquam hætenus effectum fuisse: quamquam quid *motu perpetuo* opus est quiete potius perpetuâ indigentibus?

De *quadratura circuli* videri possunt Mathematici, ex quibus innumeri & sunt, & fuerunt, qui pertinaci studio, & incredibili labore movêre quadrata rotundis, ut ad id, quod jam à bis millenis fere annis tantopere desideratum, inquisitumque fuit, id est, ad *quadraturam circuli*, pertingerent, nec tamen hucusque inventus est, qui intentum à Mathematicis *τετραγωνισμὸν*, seu *quadraturam veram*, & *realem*, quæ in adæquata diametri ad circumferentiam proportionem consistit, in hunc usque diem se invenisse, gloriari queat.

De *lumine*, seu *lampade perpetua* idem dicendum, hætenus à nullo repertam esse: vix tamen negari potest, fuisse Antiquis rationem aliquam notam, quâ hujusmodi lampades in multa sæcula accenderent. Antiochiæ in ejus templi vestibulo sub aperto Jove lampas 500. annis arsit, testibus Cedreno, Nicephoro, & Kirchero in *Mundo subter*. Anno 1401. propè Tyberim repertum cadaver molis giganteæ, cujus sepulchrum hac inscriptione notabatur: *Hic*

jacet Pallas, Evandri filius, quem Turni militis lancea interfecit: ad ejus caput lampas ardebat, quæ nullâ vi, flatûque extingui potuit, inferiori parte confractâ, oleum effluxit; reperta est, ducto annorum circulo, bis mille annis luxisse; alij mille tantum annos numerant. Romæ Paulo III. Pontifice Max. repertum est viâ Appiâ sepulchrum, cui hæc inscriptio: *Tulliola filia mea: cadaver integrum, intactumque, & oleo cuidam innatans, ore penè ridente, & crinibus adhuc integris, & acu aureâ distinctis: lampas inextincta, sepulchro appensa, quæ minimùm mille, & quingentos annos arserat.* Patavij sepulchrum Maximi Olibij (ut inscriptio docebat) cum lampade, adhuc lucem servante, à rustico detectum est, quæ & ipsa mille, & quingentos annos luxit. In Pyramidibus quoque Ægyptijs multas hujusmodi faces repertas esse, quam plurimi testes sunt, quibus omnibus fidem abrogare difficile omnino est.

¶ Quæres: Quomodo hujusmodi lampades parari possint?

Resp. Modus hujusmodi lampades parandi varius à varijs assignatur, sed nemo præstat: optimi videntur hi tres.

I. Tenuissimo oleo, ac purissimo liquori elychnium asbestinum indere, ac pilâ crystallinâ includere; tum speculis

uſtorijſ flammam in ellychnio excitare; hæc enim extingui ampliùs non poterit metu vacui.

2. Lampadem conficere ex ellychnio, & oleo aſbeſtino (videtur enim, poſſe ex lino aſbeſtino oleum, ut ex rebus alijs, extrahi) utrũque enim extingui non poteſt, flammâ perenni.

3. Ex loco, venâque ſubterranea, ex qua bitumen, naphtha, pix, oleum, & alia materia accendibilis perpetuò manat, canalem in locum deſtinatum ducere, & per illum lampadi paratæ alimentum ſuggere: & hoc modo confectas fuiſſe Anti- quorum lampades Kircherus docet ex Ara- bo Scriptore in ſuo *Mundo ſubterraneo*. Addunt alij quartum modum; dicunt enim Gagatem lapidem ſtillas aquæ, quæ in illum ſtillaverint, continuò accendere; lampas ergò hujus lapidis pulveribus impleatur, loco ſemper humido, & rorante, qualia ſunt ſubterranea, & habebis lampadem perpetuam. Sed de his ſatis.



Quæ.

Quæstio V.

Utrum per Artem Alchymia verum aurum possit produci?

S U M M A R I A.

1. Derivatur nomen Alchymia, & exponitur status Quæstionis. 2. Verum aurum, moraliter saltem, & civiliter loquendo, per artem confici non posse, & autoritate, & ratione evincitur. 3. & 4. Solvuntur objectiones.

1 PRænotand. Alchymia nomen Arabico-Græcum ab articulo Arabico *al*, quod omnibus nominibus præfigi solet, & Græco *χρῆμα*, quod idem est, ac fundere, derivatum esse, quô nomine *ars metallica* intelligitur. Hoc supposito, Quæritur, an, moraliter saltem, & civiliter loquendo, per eam verum aurum produci possit? Dixi: moraliter saltem, & civiliter loquendo; quid enim Angeli possint, aut dæmones, non disputo, sed néque physicam, aut metaphysicam potentiam in controversiam voco, quam jura, & hominum commercia non attendunt; non enim homines cum Angelis, aut dæmonibus, qui fortè, applicando activa passivis, aurum excludere possunt, sed cum

cum alijs hominibus negotiantur, quorum
industriam an superet? inquirimus.

2. *Resol.* Non potest, *moraliter*, & *civili-*
ter loquendo, per *artem alchymicam* verum
aurum fieri.

Ratio est 1. *Authoritas SS. Canonum,*
& *Doctorum*: nam

1. *Textus* sunt expressi in *Extravag.*
Spondent. de crimine falsi inter commun. ubi
Joannes XXII. *Spondent*, inquit, *quas non*
exhibent divitias pauperes Alchymista, quibus
cum veritas quasita non suppetat, diem cernunt,
facultates exhauriunt, iisdemque verbis dissimu-
lant falsitatem, ut tandem, quod non est in re-
rum natura, esse verum aurum, vel argentum,
sophisticâ transmutatione consingant. Juben-
tur deinde hujusmodi Chrysopœi, & fi-
ctores potius, quàm factores auri, tan-
tundem de auro, argentóque vero solve-
re, & insuper aurum, argentúmve, quod
moliti sunt, amittunt, perpetuam infami-
am incurrunt, &, si Clerici sunt, benefi-
cijs spoliantur.

2. *S. Thomas* quóque in 2. *dist. 7. q.*

3. a. 1. *Quædam*, inquit, *formæ substantia-*
les sunt, *quas ars nullo modo inducere potest.*
quia propria activa, & passiva invenire non pot-
est: sed etiam in his potest aliquid simile face-
re, sicut *Alchymista* faciunt aliquid simile au-
ro, quantum ad accidentia exteriora, sed ta-
men

men verum aurum non faciunt, quia forma substantialis auri non est per calorem ignis, quod utuntur Alchymistæ, sed per calorem solis in loco determinato, ubi virtus mineralis viget, & ideo tale aurum non habet operationem, consequentem speciem. Unde in 2. 2. q. 77. a. 2. ad 1. concludit, & cum eo communis Theologorum, si tale aurum eodem pretio, quod naturale, in commercijs adhibeatur, restitutum esse.

3. D. Albert. M. l. 3. de Mineral. c. 9. sic loquitur: Qui per alba albificant, & per citrina citrinant, remanente specie prioris metalli, procul dubio deceptores sunt, & hoc modo ferè omnes vel in toto, vel in parte procedunt, propterea que ego aurum alchymicum feci experiri, quod ad me delatum est, & postquam sexies, aut septies ignem sustinuit, tandem consumitur, & perditur, & quasi ad facem revertitur.

4. Avicenna quoque in Commentar. super Meteor. Sciant artifices Alchymia, species metallorum transmutari non posse, quamvis similia in his fiant; etsi enim tingere queant ipsum æs colore, quod volunt, donec sit multum simile auro; semper tamen secundum substantiam manebunt æs, & plumbum.

5. Denique Athanasius Kircherus doctissimis mathematicis, & chymicis artibus instructissimus, imò divinitus edoctus, hanc

hanc adynamiam, & impossibilitatem educendi auri in *Mundo subterraneo* l. 12. eruditissimè ostendit, & c. 2. ejusdem libri, *Quatuor*, inquit, à *Philosophis avidissimè quaesita*, laboriosissimè tentata, diutissimè sperata, nunquam tamen inventa esse, videlicet motum perpetuum, lumen perpetuum, quadraturam circuli, seu tetragonismum, & denique auriscium.

Ratio est 2. Ab exemplo, ex SS. *Literis* deprompto; si enim aliquis mortaliū ad hanc conficiendi auri scientiam, & notitiam pervenire potuisset, utique omnium maximè is fuerit Salomon, de quo S. Scriptura 2. *Paralip.* c. 9. v. 23. *Magnificatus est Salomon, omnesque Reges terrarum desiderabant videre faciem ejus, ut audirent sapientiam: quam dederat Deus in corde ejus: & Ecclesiast.* 47. *Impletus es, quasi flamen, sapientiā, & terram retexit anima tua: collegisti quasi aurichalchum aurum, & ut plumbum complēsti argentum: & 3. Reg.* c. 10. v. 27. *Fecitque (Salomon) ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* Et tamen hanc auri conficiendi scientiam fuisse Salomoni ignotam, colligitur ex eadem S. Scriptura; quò enim tot navigationes longinquæ, & dispendiosæ in *Ophir* ad convehendum aurum, tot imposita subditis tributa, ut populus, onerum impatiens, rebellaret? Et denique, unde tanta

Re-

Regis paupertas, si Midæ virgulam, tingendique *auri* peritiam domi suæ habebat?

Ratio est 3. Ab ipsa rei natura, & quæ à S. Thoma in 2. dist. 7. q. 3. a. 1. insinuat. Qui per *artem* vult *aurum* conficere, oportet, hujus naturam, principia, qualitates, causas, locum, & reliqua, quæ ad *aurum* concurrunt, & ex quibus componitur, sciat: sed nihil horum, *moraliter* loquendo, Alchymistæ scire possunt; ergò nec *aurum*, *moraliter* loquendo, conficere possunt. *M. patet*; sicut enim nemo verum panem confecerit, qui nesciat, ex qua materia, in quo loco, quò calore, quâ fermentatione &c. panis elaboretur, ita nec *aurum*. *min. etiam constat*; quis enim hominum unquam veras matrices, seu mineras *auri*, sinúsque montium, cùm *aurum* natura moliretur, ingressus est? aut quâ experientiâ deprehendit, & cognoscere potuit, ex qua materia, in quo loco, quibus qualitatibus, & influentijs *aurum* emergerit? nam primò, de sola *auri* materia tantum inter ipsos Alchymistas dissidium est, ut planè ignorantiam suam prodant: alij sulphur arsenicum, auripigmentum, alij hydrargyrum, alium, magnesiâ, cadmiam, alantum, bufonem, vitriolum, antimonium, ovorum crusta, sanguinem humanum, & quid non denique? hæc tan-

ta opinionum varietas, & incertitudo vanitatem jactatæ artis ostendit: si tam incerta calcei materia, quàm *auri*, nemo calceum gestâset. *Secundò*, sed demus, de materia constare, ubi locus, tanto operi moliendo idoneus? certum est enim, non ubique locorum, sed in abditissimis montium visceribus, venis, & matricibus produci, quò nulla hominum industria penetrare potest; quoscunque enim furnos, pyristeria, distillatoria &c. quibus metalla fulminentur, calcinentur, sublimentur, præcipitentur &c. adornaveris, nunquam tamen qualitates específicas, & plasticas, seu formatrices illis imprimes, quarum virtute *aurum* producitur: quod apertum est in quotidiana transmutatione alimentorum in carnem, & sanguinem humanum; quantumcunque enim instrumenta, & vasa, humanis visceribus simillima, pares, nunquam tamen alimentum in carnem, sanguinem, ossa, spiritus &c. convertetur; quia illis instrumentis non insunt facultates, & qualitates specificæ, quarum ope in corpore humano contingit illa conversio. *Tertiò*, sed esto, *arte chymicâ* & materiam, & locum, seu matrices *auri* præparari, ubi erunt influentiæ cœlestes, solares, stellares, lunares, earumque per diversas circulationes, & motus tam regulares,

lares, quàm irregulares applicatio, ex quibus metallorum, & maximè *aurei* genesis, & fabricatio pendet? ubi humidi, calidi, frigidi, sicci que uniformis, difformisque temperatura? ubi tempus necessarium? nam metallorum generationem longissimi temporis esse, experienciâ constat, minimum tempus dicitur esse 30. vel 40. annorum.

Ratio est 4. Ab absurdis illorum, qui hanc *artem* profitentur; nam *primò*, Paracelsus eadem *arte* chymicâ extra maternum uterum hominem fieri posse, affirmat, & modum docet *lib. 1. de natura rerum*, eumque in cucurbita vitrea, sigillatâque nasci, humano sanguine ali, crescere, & ut quondam homines ex equo Trojano, ita nunc ex ampulla chymica, scintillarum instar, proflire: & subjungit, hoc unum ex maximis secretis esse, quod Deus mortali homini patefecit, & reservari usque ad extrema tempora: hoc artificio Satyros, Nymphas, Sirenas, Pygmæos, imò Gigantes in lucem emeruisse: hoc chymicorum hominum genus, utpotè *arte*, non naturâ genitum, omnes artes percallere, & ad maxima quæquæ à Deo destinari. *Secundò*, idem Paracelsus in *Præfat. in Paragran.* se, inquit, literas à Galeno ex inferno accepisse, & cum Avicenna in vestibulo

infernî de *auro* potabili, lapide philosophico, theriacâ disputâsse. Tertiò, lapidem philosophicum, seu tincturam *auri*, ejus esse efficacix, dicunt, ut, si totum mare esset mercurius, hoc pulvere benedicto aspersum, extemplò in *aurum* transiret. Taceo plura, quæ hujus artis vanitatem ostendunt.

3. *Objic. 1. S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 2. ad 1.:* dicit: *si per alchymiam fieret verum aurum, posset pro vero auro expendi, quia nihil prohibet, artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendum veros, & naturales effectus, ut dicit August. in 3. de Trinit. ergò S. Doctor sentit, verum aurum per artem produci posse.*

Resp. Conc. Ant. Neg. Consequent. Nec enim dubium est, cùm *aurum* per causas naturales producitur, eum, qui eas causas, *auri* effectrices, novit in loco proportionato, & debitâ matrice applicare, *aurum* effecturum esse; sed nego, hominibus harum causarum notitiam suppetere, multoque minùs modum, locum, tempùsque eas causas applicandi, quod S. Thomas nec loco citato, nec alibi docet.

4. *Objic. 2. Quod aliquando factum est, id & in hanc usque diem fieri posse, nemo facile negarit: sed aurum verum, imò naturali auro longè nobilius, excellentius, illustrius, exquisitoribùsque dotibus præ-*
ditum

ditum *arte* alchymicâ per lapidis tincturam factum esse, testimonia Chymicorum innumeris historijs demonstrant; ergo id & in hanc usque diem fieri poterit.

Resp. *Neg. min.* Si enim aliquando verum *aurum* ex furnis Alchymistarum prodijt, non illud de novo productum, sed vel subdolè suppositum, vel ad summum à reliquis metallis separatum fuit; aliud est autem *aurum* à reliquis metallis separare, aut colore *auri* tingere, aut scobem, aureumve pulverem inspergere: aliud verum *aurum* efficere: hoc non admitto, illud concedo; sicut enim non omne, quod lucet, ita non omne, quod apparet, est *aurum*.

Quæstio VI.

Quid sit Violentum? & an Deus creaturæ inferre possit violentiam?

S U M M A R I A.

1. Statuitur, & explicatur definitio violenti.
2. Aqua, cum metu vacui sursum attollitur, an patiatur violentiam?
3. An, si Angelus cesset cælum movere, quies sit cælo violenta?
4. Ostenditur, Deum, cum agit per potentiam absolutam, &

ut *cauſa univerſalis*, nulli rei poſſe inferre *violentiam*. 5. *Utrum dentur aliqui motus ex naturali, & violento mixti, & quinam illi?*

R *Eſol. 1. Violentum communiter defini- tur: quod eſt à principio extrinſeco, nullam vim conferente paſſo.*

Dicitur 1. *A principio extrinſeco*: quia *violentum* opponitur *naturæ*; ſicut enim, quod eſt *naturale*, fit à principio *intrinſeco*, ita, quod *violentum*, fit à principio *extrinſeco*: ſic motus lapidis, ſurſum projecti, eſt *violentus*; quia ab *extrinſeco* provenit contra *intrinſecam*, & *naturalem* ejus *inclinationem*.

Dicitur 2. *Nullam vim conferente paſſo*, id eſt, non tantum *negativè* ſe habente, ſed *poſitivè* reſiſtente paſſo; ſi enim paſſum, aut ſubjectum aliquod ſe tantum *negativè* ad aliquam formam habeat, non autem *poſitivè* illi repugnet, non patitur *violentiam*: & ideò lux aëri, gratia animæ non ſunt formæ *violente*, quia aëri lux, gratia animæ non repugnant.

2 *Infertur 1. Aquam, cùm metu vacui ſurſum attollitur, non pati violentiam; quia illi, ut eſt pars univerſi, naturale, & juxta inclinationem eſt, ſurſum moveri, ad impediendum malum, & diſſolutionem totius, hoc eſt, vacuum: ſicut manui, ut*
pars

pars est corporis, naturale est, ut se opponat, & vulnus excipiat, in caput vibratum. Vide S. Thom. 1. p. q. 60. a. 5.

3 Infertur 2. Si Angelus cesset cœlum movere, quietem cœlo non fore *violentam*, sed naturalem, quia, sublato motu ab extrinseco, est juxta cœli inclinationem, ut quiescat, sicut motus de facto ei est naturalis, quia secundum naturalem ejus inclinationem est, ut moveatur, tanquam principium generationum, & alterationum sublunarium, ut jam suprà dictum.

4 Resol. 2. Deus, si agat per potentiam absolutam, & ut causa universalis, nulli rei potest inferre *violentiam*.

Ratio est 1. Authoritas expressa S. Thomæ 1. p. q. 105. a. 6. ad 1. ubi, cum, inquit, aliquid contingit in rebus naturalibus præter naturam inditam, hoc potest dupliciter contingere: uno modo per actionem agentis, qui inclinationem naturalem non dedit, sicut cum homo movet corpus grave sursum, quod non habet ab eo, ut moveatur deorsum; & hoc est contra naturam: alio modo per actionem illius agentis, à quo dependet actio naturalis; & hoc non est contra naturam, ut patet in fluxu, & refluxu maris, qui non est contra naturam, quamvis sit præter motum naturalem aquæ, quæ movetur deorsum; cum igitur natura ordo sit à Deo rebus inditus, si quid præter hunc ordinem

faciat, non est contra naturam: unde August. dicit 26. contra Faustum, quòd id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ. Idipsum docet 3. cont. Gent. c. 100. & q. 6. de pot. a. 1. ad 19.

Ratio est 2. Obedire Creatori non est creaturæ *violentum*, sed naturale; sicut enim est omni enti finito naturale, esse creatum, & dependens, ita Creatori obedire, & subordinari, quæ subordinatio creaturæ ad Creatorem est creaturæ essentialis, multoque naturalior, quàm subordinatio animæ ad corpus, lunæ ad solem &c. ergò &c.

Ratio est 3. Nihil ita naturale, quàm sui ipsius conservatio: atqui hæc pendet à subordinatione cum Causa prima; sicut enim palmes non conservatur, nisi in vite, ita nec creatura, nisi in Deo; ergò &c.

Ratio est 4. Omne *violentum* dicit resistantiam: sed nulla creatura habet resistantiam respectu Dei; hæc enim resistantia, & impetus *vel* esset à Deo, ejusque voluntate, *vel* non? si hoc? non esset ens creatum, & participatum: si esset à Deo, ejusque voluntate? ergò non resisteret; sicut penicillus, dum ab artifice movetur, non ei resistit, quia ad artificis nutum, ejusque manu, ac voluntate movetur; ergò nulla creatura patitur *violentiam* à Deo,

Deo, si hic agat per potentiam absolutam, & ut causa universalis: quodsi Deus conservet resistantiam, ac repugnantiam, & simul contrariam formam inducat (ut si lapidem sursum projiceret, aut cum dæmones invitos, ac propterea tristes, dolentesque igni corporeo subjicit) non videtur absurdum dicere, Deum in hoc casu *violentiam* inferre; quia hæc consistit in tali resistantia, & repugnantia.

5 Quæres: An dentur aliqui motus ex *naturali*, & *violento* mixti?

Resp. Affirmativè; sic enim *primò*, in motu v. g. progressivo elevatio pedis sursum, ut corporis gravis, est *violenta*; sed, ut est à forma animalis, cui is motus debetur, & quæ est forma denominans, ac totius, est *simpliciter* motus *naturalis*. Sic etiam *secundò*, appetitus sensitivus, & actus externi possunt esse *violenti*, quia contra imperium voluntatis, quæ est forma prædominans, & cui aliæ *naturaliter* subduntur potentiæ; quamvis, ut à suis potentijs immediatè eliciuntur, sint *naturales*, ut si v. g. idolothyta, aut cibi alijs prohibiti contra voluntatem ori ingerantur, ea gustatio *secundum quid* est *naturalis*, quia elicitur immediatè à potentia connaturali, hoc est, gustu, *simpliciter* tamen est *violenta*, quia contra imperium formæ, ac

potentiæ regnantis, hoc eſt, voluntatis.
 Vide S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 4. qui etiam
 1. de cælo lect. 4. admittit quemdam me-
 dium motum inter *naturalem*, & *violentum*,
 qualis eſt circulaſio perfecta ignis, & æris
 ex motu firmamenti, & imperfecta maris
 ſecundum fluxum, & refluxum; hæc enim
 nec eſt à principio intrinſeco, nec cum
 reſiſtentia, aut contra inclinationem iſto-
 rum elementorum: reduci tamen poteſt
 ad motum *naturalem*; quia elementa ſunt
naturaliter à primo mobili mobilia, & ſic
 ut influxui, ita motui cœlorum locali *na-
 turaliter* ſubſunt.



TRA.